

R. K.
405,
22.

to. (X130 4003)

II n
6948

HISTORIA
COMMORIENTIUM
Discurso Academico

illustrata,
&

Divini Numinis adspirante Gratiâ,

nec non

Consentiente Senatu Philosophico
in Almâ ad Salam,

sub presidio

M. CHRISTIANI
HOFFMANNI,

Wratislaviensis,

publicæ Eruditorum disquisitioni subjecta

CHRISTOPHORO PRICELIO,

Dracorino - Silesio.

ad D. Julii

Anni M DC LXIX.

H. L. Q. C.



J E N Æ,

Literis Bauhoferianis.

Manf. Hillebrand



ILLUSTRISSIMO DOMINO,
DN. HERMANNO
Gatzfeldt/

Sacri Rom. Imperii & in Gleichen Co-
miti, Nobili Domino in Wildenberg/ Dynastæ in Trachen-
berg/ Domino in Praußnitz/ Krottorff/ Schönstein/
Blanckenhayn & Kranichfeld &c.

Sacratissimæ Cæsar. Majest. & Catholici Hispaniarum
Regis Consiliario, Camerario,
Pedestris ac Equestris Legionum Tribuno,

Domino Meo clementissimo

*primitias hasce Academicas
devotæ subjectionis ergo
do, dico, dedico*

humillimus

CHRISTOPHORUS PRICELIUS,
Trachenbergâ - Siles.



Σὺν Θεῷ!

I.



COMMORIENTIUM HISTORIA vasta est atque diffusa. Magnitudo angustis hisce pagellis obstat: obstat & diversitas, quæ aciem ferè intentionis abrumpit. Si *Principium* necis *proximum* respicias, INVITI alii cum defunctis occubuerunt; alii SPONTANEI. *Horum* potissimum imaginem, quasi in tabellâ, amplectimur. *Finis intentio* in *Subiectis* varietatem gignit: sed hæc *sub finem* examinabitur. *Nunc* PERSONARUM ORDINEM intuiti, INÆQUALITER consociatos primum intuebimur, mox ÆQUO JURE gaudentes considerabimus: sive SEORSIM isti sese obferant atque singuli; sive in civitatum *παρολεθρία* CONJUNCTIM.

II. *Vitas nostras Natura* (a) à conjunctione sexuum auspicata est: quidni & nos INÆQUALIS AMICITIÆ Morti devotæ exempla à copulatione istâ ordiamur? Caput societatis hujus MARITUS (b) est: fit quoque narrationis nostræ caput. C. PLAUTIUS (c) NUMIDA, *Vir senatorii ordinis, morte uxoris auditâ, doloris impotens, pectus suum gladio percussit. Interventu deinde domesticorum, inceptum exsequi prohibitus, colligatusq; ut pri-*

A 2

mum

(a) Dionys. Halicarn. II. A. R. 24. (b) V. Aristot. I. Pol. 8. p. m. 412, T. 3. (c) Val. Max. III, 6. ex. dom. 2.



mium occasio data est, scissis fasciis, & vulnere
 diuulso, constanti dexterâ, spiritum luctus acer-
 bitate permistum, ex ipsis prae cordis & visceribus
 hausit. Ejusdem (d) ut nominis, ita timoris quoq;
 fuit M. PLAUTIUS. Nam cum imperio senatus
 classem sociorum LX. navium in Asiam reduce-
 ret, Tarentumq; appulisset, atq; ibi uxor ejus Ore-
 stilla, quæ illuc eum prosecuta fuerat, morbo pressa
 decessisset; funerata eâ atq; in rogam impositâ, in-
 ter officium unguendi & osculandi, stricto ferro in-
 cubuit. Quem amici, sicut erat, togatum & ca-
 ceatum corpori conjugis junxerunt: ac deinde sub-
 jectis facibus, utrumq; unâ cremauerunt. Quo-
 rum ibi factum sepulcrum Tarenti, etiamnum
 (addit Valerius) conspicitur, quod vocatur ΤΩΝ
 ΦΙΛΟΥΝΤΩΝ. Maritalis flamma hos in mortem ac-
 cendit; maritali flammæ similis æstus ANTONII.
 Credens (e) ille Cleopatram defunctam esse, ven-
 trem fodit. Secuit (f) sibi, more gentis, ventrem
 NOBILIS quidam f APONIUS, quod Dyna-
 sta de Firando [ubi societas Belgica (g) mercium
 suarum repositorium pro tempore constituerat]
 Amasiam ejus, quæ clanculum amoris ipsius forte
 indulserat, arcæ, cui intus ab omni latere infixæ
 erant acuti clavi, inclusisset.

III. Proxima maritorum fidei FIDES est UXORIA.
 PORCIA, (h) M. Catonis filia, cum apud Philip-
 pos

(d) ib. ex. 3. (e) Plutarch. in Anton. T. I. p. 951. (f) Varen. de Ja-
 pon. c. 12. p. 89. (g) ib. c. 9. p. 58. (h) Val. Max. l. c. ex. 5.

pos victum & interemptum virum suum BRU-
TUM cognosceret, quia ferrum non dabatur, ar-
dentes ore carbones haurire non dubitavit. RE-
GINA (i) COCORÆ Anno Christi 1616. in aula
Cæsaris Japonici, Fiderii minoris, unâ cum libe-
ris obsidis vice degens, quod maritus illius Ongo-
schionis, qui tutor contra Fiderium pupillum suum
arma sumserat, partes sequeretur, iussa, arctioris
custodiæ ergo, se in arcem unâ cum liberis suis con-
ferre, recusavit primum. Deinde Cæsare, ni veni-
ret, se vim adhibiturum minitante, maximo si-
bi dedecori & marito suo id fore existimans, as-
sumtis liberis, puellis gynæcei, & nutrice suâ, quæ
omnes cum Domina suâ mori decreverant, in con-
clavæ se confert, & circumjectis lignis pulvere py-
ro incensis, se cum illis concremavit. In regno (k)
Fingo, NOBILIS cujusda, à rege libidinoso clam
è medio sublatis, CONJUX, quasi regis desiderio
gratificatura, convivii in turri quâdam adornan-
di facultatem adeptâ, in præsentia regis & con-
sanguineorum suorum desuper se præcipitat, terra-
que allisa extinguitur, servans hac ratione pu-
dicitiam à rege illasam.

IV. Sed quid singularibus inhæremus? Vetus-
tissimus Gentium mos est, ut uxores nec in morte
à maritis divellantur. Apud omnes pariter CEL-
TAS (l) unâ cum defunctis crematæ sunt. Alio-
rum

A 3 rum
(i) Varen. l. c. c. 14. p. 95. seq. ex Caron. (k) ib. p. 97. (l) Cluverius l.
1. Germ. antiq. c. 53. p. 396.

rum hoc populorum quoque sancitum fuit, hodieque permanet. *THRACUM* feminae, inquit (m) Mela, super mortuorum virorum corpora interfici, simulque sepeliri, votum eximium habent: & quia plures simul singulis nuptae sunt, cuius id sit decus; apud iudicatuos magno certamine affectant. Moribus datur; Estque maxime letum, cum in hoc contenditur, vincere. Maerens alia vocibus, & cum acerbissimis planctibus efferunt. *CRESTONÆI* hi sunt, aut Crestonæis vicini. Disceptatio magna fit (ita (n) Herodotus) inter uxores, acri amicorum circa hanc rem studio, quae nam dilecta fuerit à marito praecipue. Quae talis iudicata est, & hunc honorem adeptae, ea à viris ac mulieribus exornata, ad tumulum à suo propinquissimo mactatur, unaque cum viro humatur, ceteris uxoribus id sibi pro ingenti calamitate ducentibus. nam id eis summo dedecori datur. *HERULI* Germanica (o) fuere natio, Vistulae quondam ostia adcolens. *Viro* (p) defuncto, necesse erat uxorem, quae virtutis existimationem consequi, gloriamque apud posteros relinquere vellet, laqueo apud viri sepulcrum, non longe post vitam finire. Quae hoc facere recusaret, hanc ignominia nota manebat, & à mariti propinquis infestatio.

V. Et hæc quidem *NECATÆ* PRIUS rogo sunt illatae: *VIVAS* ut plurimum concremare placuit.

De

(m) Lib. 2, 2. (n) 5, 3. (o) Cluv. l. c. p. 395. (p) Procop. l. 2. Goth.

De THRACIBUS ita Solinus (q): *Quæ fœminæ tenaces sunt pudicitia, defunctorum insiliunt Conjugum rogos, & quod maximum insigne ducunt castitatis, præcipites in flammam eunt.* INDORUM morem non sine laude recenset Propertius (r):

Felix Eois lex funeris una maritis,

Quos aurora suis rubra colorat equis.

Namque ubi mortifero jacta est fax ultima lecto,

Uxorum fufis stat pia turba comis:

Et certamen habent leti, quæ viva sequatur

Conjugium: pudor est, non licuisse mori:

Ardent victrices, & flammæ pectora præbent,

Imponuntque suis ora perusta viris.

Hæc Poëta, fide non poëtica. Gemella perorat Tullius (s). CATHÆIS peculiare id esse Strabo (t) cum Diodoro (u) asserit. TAXILIS etiam idem Geographus (x) tribuit.

VI. Nostro seculo in omnibus fere INDIAE Regnis hæc consuetudo obtinet. In CANONOR (y) dilectissima marito conjux die ab obitu mariti octavo aut decimo opiparum adornat convivium, deinde in ignem sese immittit comburendam: reliquæ cum tripudio circa illam saltant. In CHORMANDEL (z) Bramines & Weinsjæs qui vocantur, eundem accurate diem observant, quo maritus comburitur. Et Braminum (a) quidem uxores viva juxta cadaver mariti rogo imponuntur: E-

orum

(q) c. 16. (r) 3. eleg. 12. (s) V. Tusc. Q. q. f. m. 277. b. (t) l. 15. p. 481. (u) l. 19. (x) ib. p. 491. (y) Joh. Verck. P. 1. Navig. Ind. p. 56. seq. (z) Roger. P. 1. c. 20. p. 203. (a) Id. p. 207.

orum verò, qui *Settreas, Weinsjaes, & Sudraes*
 dicuntur, cum ollâ plenâ olei in capite in prunas
 desiliunt, & congestâ à circumstantibus ligno-
 rum strue flammis feralibus consumuntur. Ap-
 paratum ^{αὐτοτελής} describit Abrah. Rogerius
 Januæ Gentilismi apertæ P. 1. c. 20. Adda-
 tur, si placet, Joh. Jacobus Saar Itinerarii p.
 105. Discrimen (b) tamen observare licet inter
 Braminum atque Settrearum s. Nobilium Con-
 juges, quòd illis libera datur optio, hæc verò no-
 lentes volentes ad sui vivicomburium compel-
 luntur. Pro vero affirmatur, defuncto (c) ali-
 quando *Settreas* quodam *LX*, conjuges unâ cum
 illò Vulcano fuisse consecratos. In Regno *Gus-
 ratta* (d) *Benjanensium* quædam secta est, *Sa-
 maraeth* dicta, sub quâ illi quoque comprehen-
 duntur, qui peculiari *Rasbutorum* nomine gau-
 dent. Utrorumque *Uxores in rogam defuncti
 mariti sese jaciunt.* Inter *Rasbutos Proceribus*,
 præter eas, *liberi quoque & tota familia* com-
 burendi conjunguntur. In Regno *Narsingensi*
 (e) pariter, quæ aliis hominibus, quam *Baneani-
 bus, nubunt, post virorum mortem vivæ in ro-
 gam, cum magno suorum comitatu, & multis can-
 tibus atq; laudibus inferuntur. Baneanibus ve-
 rò defunctis uxores prope illorum cadavera vivæ
 sepeliuntur.* Id quod in vico *Castâ* ejusdem re-
 gni

(b) *ib. p. 191.* (c) *p. 192.* (d) *Christoph. Arnold. in Addit. ad Roger. p.*
839. (e) *Stuck. in Arriani Peripl. mar. Erythraei p. 64. ex Ofor. l. 4.*

gni similiter fieri testatur Alexander Rosf. p. 169.
Mos nec in orâ CHORMANDEL(f) ignoratus: ubi præ
combustione interdum eligitur *Inhumatio*. Mu-
lier in cavernâ sepulcrali cadaver mariti am-
plexa, & thure sufficiens ipsa terram aggerere non
detrectat. Ad collum ferè contumulata venenum
ipsi secreto propinatur, & jugulum frangitur.

VII. INSULÆ INDICÆ COMBUSTIONEM præferunt.
In urbe (g) TERNASSERI, quò nomine ipsa etiam
Insula Ceylon ab Arabibus appellatur, Regis pa-
riter atque Procerum Conjuges eandem fati le-
gem sequuntur. In Insulâ[h] BALI defuncto marito
uxores ejus in flammam unâ feruntur, & cum
eo exuruntur. Mitiùs agi putes cum AFRICANIS
quibusdam & AMERICANIS, si occisio vivicom-
burio mitior est. GVINEÆ [i] rege demortuo, qua-
dam tantum Conjugum ipsius sese interficiendas
præbent, cumque eò sepeliuntur, ut ipsi in altero
Seculo socientur rursus, convivuq; solito atq; com-
munione regni fruantur. Apud MECOACANOS,
PERUANOS & vicinos populos (k) mos inoleverat,
ut defuncto viro, uxores ejus, vel Filia, & servi,
quos præcipuè amaverat, simul interimerentur,
aut unâ cum mortuo vivi defoderentur, ne scilicet
in altera vita mulieribus servisq; destituerentur.
Occidebantur autem cantantes & tripudiantes,
felices se existimantes miseri illi, quibus tale mor-
tis genus contigisset.

B

VIII.

(f) Roger. l. c. p. 212. seq. (g) Ludov. Vartom. l. 6. H. O. c. 9. (h) Joh.
Verck. Hist. Mar. P. 1. p. 88. (i) Levin. Hulst. P. 7. Navig. Holl. c. 44
(k) Archontol. Cosm. p. 275.

VIII. Expectatum minus est SERVORUM faci-
nus; spectatum tamen, & in literarum monimen-
ta relatum. C. Gracchus (l) ne in potestatem inimi-
corum veniret, PHILOCRATI seruo suo cer-
vices incidendas praeiuit. Quas cum celeri ictu ab-
scidisset, gladium cruore domini madentem per
sua egit praecordia. PINDARUS (m) C. Cas-
sium Philippensi praelio victum, nuper ab eo ma-
numissus, iussu ipsius obtruncatum insultationibus
hostium subtraxit, seque e conspectu hominum vo-
luntaria morte abstulit, ita ut ne corpus quidem
ejus absumti inveniretur. P. CATIENUS (n)
PHILOTIMUS Patronum adeo dilexit,
ut heres omnibus bonis institutus, in rogam ejus
se jaceret. In GALLIA non privati arbitrii erat,
Herum ad orcum comitari; publico decreto sta-
tutum illud observabatur, si Caesari (o) credimus.
Funera, inquit, sunt, pro cultu Gallorum, magni-
fica & sumtuosa: omniaque, quae vivis cordi fu-
isse arbitrantur, in ignem inferunt, etiam anima-
lia; ac paulo supra hanc memoriam, SERVI &
CLIENTES, quos ab iis dilectos esse constabat,
justis funeribus confectis una cremabantur. Spon-
taneum hoc officium asserere mavult Pomponi-
us Mela, (p) ita scribens: Unum ex iis, quae prae-
cipiunt (Druides) in vulgus effluit, videlicet, ut
forent ad bella meliores, aeternas esse animas, vi-
tamque alteram ad manes. Itaque cum mortuos

(l) Val. Max. 6, 8, 3. (m) ib. 4. (n) Plin. l. 7, c. 36 (o) l. 6. de B. Gall. (p)

cremant ac defodiunt, erant, qui se in rogos suorum, velut unà victuri libenter immitterent. De JAPONIBUS res in confesso est. Dynastā (q) aliquò mortuò, plerumq; X. XX. XXX. plures aut pauciores, prout multos fideles ministros & subditos habuerit, voluntariam sibi ipsis mortem consciscunt, ventrem scilicet secantes. Horum pleriq; regnante adhuc Domino ad hoc leti genus se obstrinxerunt. Etenim ubi se amari a Dominis sentiunt, aut singulari præ aliis favore & beneficio afficiuntur, gratiarum actioni hæc solent adjungere verba: Clementissime Domine, magnus est fidelium vobis subditorum numerus: ecquid igitur ego officii præstiti, quo hunc præ aliis honorem promeritus sim. Corpus hoc, quod tamen vestrum est mancipium, dono vobis in compensationem, & promitto, quod non diutius, quam vestrum, vitâ frui debeat. Quo voto factò ad ejus confirmationem, more gentis bibunt vinum suum facticium ex paterâ. Nec enim ullos contractus, quibus super biberint pateram vini, licet frangere. Istam autem letiferam ventris sectionem peracturi, convocant omnes suos cognatos, atq; cum eis templum aliquod ingrediuntur, ubi super floreas discumbentes in medio ejus postremâ vice convivantur, & liberaliter se invitant. Quod cum affatim est factum, secant sibi ventrem decussatim,

B 2

ita

(q) Varen. de Jap. c. 28. p. 202. seq.

ita aut intestina effluant; animosiores etiam fauces sibi præscindunt.

IX. Hactenus privatos quasi intra parietes COMMORIENTIUM stetit fidelitas: est quæ se etiam in publico jactet. Primas Antiquitati meritò tribuimus, apud quam uno ore celebrantur SOLDURI. Vox ea Gallorum antiqua est, à quâ (r) nos hodiè fortè retinemus Soldat, quasi qui salario conducatur. Hodiè etiam militum quoddam genus (s) Germanis dicitur Soldner: Anglis verò quivis miles Soldior, sive Sovvidior: Britannis Wallis Sovvidiur. Eorū vero attestante Cæsiare (t), hæc erat conditio, ut omnibus in vitâ commodis unâ cum his fruerentur, quorum se amicitia dedidissent. Si quid iis per vim accideret, aut eundem casum unâ ferrent, aut sibi mortem consciscerent: neq; adhuc, addit, hominum memoriâ repertus est quisquam, qui eo interfecto, cuius se amicitia devovisset, mori recusaret. Amicitia hoc genus fuisse illud, quod secundum excellentiam dicitur, ex Athenæo (u) discimus, apud quem Nicolaus Damascenus narrat, Adiatomum regem Sotianorum [est autem ea Gallia natio] sexcentos habuisse proximos sibi delectos homines. Galli propriâ lingâ SILO DUNOS vocant, [ea dictio Græcis DEVOTOS significat,] qui cum rege & vitam agunt, & moriuntur, id summopere votis optantes: ob quam erga regem fidem cum

(r) V. Montan. ad Cæs. 3. de B. Gall. p. 104. (s) Cluver. Germ. A. I. 8. p. 69. (t) l. 3. de B. Gall. p. 87. (u) l. 6. c. 13. p. 249.

eo principatum gerunt, eodem victu, & corporis cultu, quoties ejus necessitatis contingit occasio, mortem libenter oppetentes, si vè rex intereat morbo, s. cadat in praelio, s. alia quavis de causa vitâ excefferit: nec est, qui dicere possit, ex illis, amisso rege quempiam mortem vel expavisse, vel recusasse tergiversantem. Autor societatis hujus *Adiatonus* (x) in scriptis Codd. etiam nominatur apud Cæsarem, ubi tamen vulgò *Adcantuanus* legitur. *SILODUROS* verò, non *SILODUNOS* à *Dipnolophistâ* scriptum fuisse ex *Eustathio* conjicit *Causabonus* (y). Ceterum, ut *Athenæi* verba proximè narrationi istî præmissa nostra faciamus, etiam *ARABE* *Solim* magno studio id poposcerunt, ut cum Rege vitâ functo defoderentur: quod tamen hodiè antiquatū est. Postquam, *OTHO* Imperator pugione se trajecerat, multi presentium militum cum plurimo fletu manus, ac pedes jacentis exosculati, fortissimum virum, unicum Imperatorem prædicantes, ibidem statim nec procul à rogo vim suæ vitæ attulerunt. multi & absentium accepto nuncio præ dolore armis inter se ad internecionem concurrerunt.

X. Recens ævum recentes populos, sed antiquitati in negotio hoc vix cedentes detexit. *SINENSES* cū Imperatore (a) suo mori, ne alteri inimico subesse cogantur, vel ab illo occidantur, summum credunt fidelitatis decus. Cū An. 1644. à *Licung-*

B 3

ZO

(x) Fulv. Ursin. V. L. in Cas. p. 658. (y) in Not. p. 274. (z) Salsom. in Oct. 12. (a) Martini. de Bello Tart. p. 91.

zo regia Peking caperetur, Imperator Zungchinus, (a) obtruncatâ filiâ nubili se ipsum suspendit. Ad ejus exemplum summus Praefectus, qui Colaüs dicitur, ibidem resti cervicem implicuit: idem Regina, idem aliquorum præterea ex fidissimis Eunuchorum exitus fuit. Sed non minus in urbe ipsâ, quàm intra palatium quamplurimi in seipso sævierunt, alii in lacus insilientes, alii laqueo voluntariam sibi mortem inferentes. In JAPONIA An. 1565. Cubus (b) occidebatur in bello, quod Mioxindonus Imorensium regulus contra ipsum conflaverat. Tunc animi magnitudo ac fidelitas adolescentuli cujusdam, decimum quartum annum agentis enituit; qui, cum in certamine hostes penè obstupescisset audacia miraculo, eumque vivum sublato undiq; clamore conarentur excipere, ille Cubum defunctum intuitus, sibiq; turpissimum ratus, Regi suo, Dominoq; superstitem esse, gladio confestim abjecto sicam arripuit, abscissoq; sibimet gutture eandem sicam adegit in viscera.

XI. Utraque INDIA exemplis suis commemoratorum exempla approbat. Quum rex NARSINGÆ (c) moritur, pyrae lignis odoratissimis incenditur, in quam regium cadaver infertur. Ibi CONCUBINÆ OMNES, & OMNES ILLIUS FAMILIARES, & quicumque illi MINISTRAVERUNT, aut magnum apud illum nomen obtinuerunt, in rogam similiter infere-

(a) ib. p. 90. (b) Varen. de Jap. c. 5. p. 35. (c) Stuck. l. c. p. 65. ex Osor. l. 4.

feruntur. Tanto autem studio ad rogam, ut cre-
mentur, accelerant, ut appareat eos in eâ mortis,
quâ regem prosequuntur, societate summum decus
arbitrari. Principes Regni CAMBOJÆ (d)
mortuo rege non dubitant unâ cum Regis concubi-
nis sibi voluntariam mortem consciscere. In fu-
nere Regis SIAM (e) non uxores tantum ejus,
sed & Nobiles aliquam multi in flammâ rue-
bant. Apud MEXICANOS (f) si quis procerum
obiisset, sacellanus ejus atq; præfecti trucidaban-
tur, ut mortuo inservirent. Rege mortuo eadem
fere 200. personæ immolabantur. Apud PERUA-
NOS (g) accidebat quandoq; ut defuncto Ingâ,
aut magno aliquo principe, domestici aut familia-
res eorum, qui in monumentis regis locum habere
non poterant, defoderentur in iis locis, in quibus
Rex, donec viveret, versari solitus fuerat fre-
quentius, scilicet ut rex post mortem suam usitato
more, illic transiens, eorum uti posset illic servitio.

XII. Videri poterant Exempla hucusque enar-
rata necessitatem aliquam secum trahere: nullum
suspicioni huic locum relinquit ÆQUALIS AMICI-
TIA. Nec in istâ tamen sociis COMMORIENDI volun-
tas defuit. Novantiqua testis est historia. JAPONUM
(h) consuetudo est, cum ab aliquo rogati sunt hisce
verbis: Tuere vitam meam & honestam famam:
supplices ad extremum vitæ spiritum defendere:
nec

(d) ib. p. 101. (e) V. Not. ad Roger. p. 192. (f) Rosf. p. 209. (g)
Archont. Cosm. p. 275. (h) Varen. c. 20. p. 131.

nec vel uxorum suarum, liberorumq; amore, vel periculorum ipsiusq; mortis metu à proposito se abduci patiuntur. Si Princeps (i) seditiosus à Rege damnatus ventris sectionem voluntariam elegerit, ex amicis precipui illatis pariter sibi manibus supra mortuū corruiere sibi gloriosum putant. Apud MALABARES (k) genus devotionis est, quo inter se alii aliis interdū fœdere conjunguntur, quo se execratione devinciunt, si uno per injuriam occiso, reliqui omnes in illo vindicando mortem non oppetierint. Hâc ratione fit, ut non modo, quum reges interimuntur, sed, cum socii vitâ privantur, ii, qui superstites sunt, humanitatis oblitii, in gladios irruant, per omnes flammâs currant, nullisq; armatorum praesidiis exterreri possint, quo minus necem iis, qui socios interfecerunt, afferre conentur, usq; eò dum ipsi variis cadibus absumantur. Ex Romanis succurrit LÆTORIUS, qui prostratis jam & perditis C. Gracchi consiliis rebusq; cum tota ejus conspiratio latè quæreretur, in ponte sublicio constitit, & eum, donec Gracchus transiret, ardore spiritûs sui sepsit: ac vi jam multitudinis obrutus, converso in se gladio celeri saltu profundum Tiberis petiit. THELESINUS (l) item, cum quo consul C. Marius Praenestinae obsidionis miserabilem exitum sortitus, cuniculi latebris frustra evadere conatus, commori destinaverat. Invenitur in aetis, Felice Russato auriga elato, in rogam ejus u-

(i) Id. c. 18. p. 121 (k) Stuck. l. c. p. 63. seq. ex Osorii l. 2. (l) Val. Max. 4. 7. 2. (m) id. 6. 9. 2. (n) L. Ampelius lib. memor. p. 330.

num è *FAVENTIBUS* jecisse sese. Plin. H. N. 7,
53. Ex *Mauritania Regibus* illustris est [n] *JUBAS*
qui *Curionem Legatum Caesaris* oppressit: mox oc-
ciso *Pompejo*, *Catonis* & *Scipionis* partes firma-
re conatus, cum se in regiam recepisset, post magni-
ficam cœnam interficiendum se dedit. *Petrijus* (o)
is erat fuga comes, qui & regi suffecit & sibi. Plura de
eo *Hirtius*, (p) sed paulò aliter.

XIII. De *ÆGYPTIIS* quid dicendum est? *Apud*
eos Amicitia genus adeò firmum fuit, ut, si alteru-
ter moreretur, & alterum mori esset necesse. Ita
Joseph. Laurentius in *Amaltheâ Onomast.* voce
Commorientes p. 154. Eadem monent *Schrevelius*
ad *Terent. Adelph. prolog. v. 6.* *Arnold. Montanus*
ad *Cæs. 3. de B. Gall. p. 104.* Vellem *Scribtores* ad-
didissent. Nihil de his in voce *Συναποθνήσκω* (q) *H.*
Stephanus. Ritûs hujusmodi memoria ex *Plutar-*
chi Antonio repetitur. Nihil minus ibi invenias.
Versiones sua sibi habeant. Phengites textus fit. Is
ita habet (r): *Αὐτοὶ δὲ ἴην μὲν ἀμιμητοβίων ἐκείνην σίνουδον καλέ-*
λουσαν, ἐτέραν δὲ συνέταξαν, ἣ δὲν ἡ λειπομένην ἐκείνης ἀβρολίης καὶ
πρυφᾶις καὶ πολυτελείας, ἣν συναποθανέμενων ἐκάλειν. Ἀπεγεράφον-
το γὰρ οἱ φίλοι συναποθανέμενος ἐαυτῶς, καὶ διήγον εὐπαθῆντες ὡς
δείπνων περιόδοις. Sensus in summam collectus huc
redit: *Vitam ab Antonio & Cleopatrá institu-*
tam similem fuisse illorum, qui commori destina-
runt, quorum mos est, ut consignatis nominibus
genio suo indulgeant. Nihil hic *Ægyptiis* adscribi-
tur

(n) *L. Ampelius lib. memor. p. 330.* (o) *Flor. 4, 2.* (p) *de B. Afr. p. 584.*
& 582. (q) *p. 1570.* (r) *T. 1. p. 649. c. d.*

tur proprium, nihil consuetudini eorum datum scribitur. Passim FERALIU EPULARUM usus fuit, si-
vè locietates COMMORIENTIU SEORSIM adductas respexeris; si-
vè ad easdem in CIVITATUM INTERITU COPULATAS animum adjeceris.

XIV. NUMANTINI, quum (s) Scipio veram vel-
let & sine exceptione victoriam, eo necessitatum
compulsi, primum, ut destinata morte in praelium
ruerent, quum sese prius epulis, quasi inferiis, im-
plevissent, carnis semicruda, & celiæ. deplorato
exitu, in ultimam rabiem, furoremq; conversi, po-
stremo mori hoc genere destinarunt: duces suos seq;
patriamq; ferro, & veneno, subjectoq; undiq; igne
peremerunt. CANTABRI postquã (t) extrema vident;
certatim igne, ferro inter epulas, venenoq; quod ibi
vulgò ex arboribus taxeis exprimitur, præcepere
mortē: seq; pars major à captivitate, quæ videba-
tur, vindicavere. ABYDENI (u) captâ urbe sese, libe-
ros, suos, & conjuges jugulabant, occidebant, suspen-
debant, in puteos conjiciebant, de tectis præ-
cipites dabant. ASTAPENSIUM exercitu (x)
ad unum occiso, turbam fœminarum puerorumq;
imbellem, inermemque civis sui cadebant & in
succensum rogam semianima pleraq; injiciebant
corpora, riviq; sanguinis orientem flammam re-
stinguebant: postremo ipsi cæde miseranda suorum
fa-

(s) Flor. 2, 18, 12. seq. Val. Max. 3, 2, 7. (t) Flor. 4, 12, 50. (u) Polyb.
16, 19. (x) Liv. dec. 3, l. 8. p. m. 508.

fatigati, cum armis medio incendio se injecerunt. SAGUNTINORUM (y) primores rebus suis desperatis, argentum aurumq; omne ex publico privatoque in forum collatum, in ignem ad id raptim factum conjicientes, eodem plerique semetipsos precipitaverunt. Inclusi alii cum conjugibus ac liberis, domos super seipsos concremaverunt. Cum Alexander (z) quandam BRACHMANUM urbem expugnasset, jamque arx victa esset, Indorum quidam succensis suis adibus, ipsi etiam earum incendio perierunt. Simili ratione, vel furore potius MILITES, [V. Hist. Antipod. II, 527.] & NAUTÆ sæpiusculè, navibus (a) accensis pulvere iecti, & cum hoste in aërē elisi, quia nō vincuntur, ex opinione suā vincunt. Sed quis omnia funestæ hujus amicitiae exempla congereret? aut quis otio ita abundat, ut omnia perlegeret? Catalogum uni obtutui exhibet Freinshemius, ad Flori 2, 18, 15. qui videatur, si lubet.

XV. Nobis alia adhuc cura sedet. *Vita magistræ* (b) est Historia. *Finis* ejus, *benè beateq; vivere*. [Vid. Epicharmus atque Patronus noster Excell. Dn. Bosius Introd. ad Hist. Univ. c. I. §. 34.] Capiamus ergò ex relatis, quod imitemur, si bona sunt: si foëda (c) inceptu, foëda exitu, vitemus. At si omnia recensita hæctenus introspiciamus penitius, verum esse deprehendimus, quod judi-

C 2

cavit

y) Id. dec. 3. l. 1. p. 15. (z) Arrian. l. 6. de exped. Alex. p. 391. (a) Heins. in laud. Mauriti (b) Cic. 2. de orat. p. m. 96. (c) Liv. l. 1. præf.

cavit Demophilus (d): *Pueri indocti literas, viri imperiti actiones confundunt.* Naturalis (e) quasi, atq; insita in animis nostris inest notio, ut alterum esse appetendū, alterū aspernandum sentiamus. Sed illud Bonum esse oportet; hoc malum necesse fit. Inverso ergò naturæ ordine agit, qui malū profequitur, bonū averfatur. At *natura* (f) *lex validissime, ut velint vivere, in omnibus sita est.* Quæ igitur rabies est, seipsum destruere? Inimicus sibi est, qui ad exitium suū physicè influit; inimicus qui illud intendit: directè, an indirectè? parum interest. Anne enim *Josephi* (g) *militēs mutuis vulneribus se conficientes* ex αὐτοφύων censu exemeris? *Nautas cum hostibus commorientes*, observatis quibusdam circumstantiis, eximunt Amefius (h) atque Franco Burgersdicius (i). Quo jure, ipsi viderint.

XVI. Pulchrè Demophilus (k): *Rationem ubique ducem sequendo, nunquam peccabis.* Rationis haut compotes [V. Plato in Protagorà, T. I. p. m. 717.] dixeris quos *doloris impatientia* sibi ipsis eripuit. Peccasse itaq; fateberis. Fatebuntur ipsi. At nō fatentur reliqui, longâ serie à nobis adducti. *Fides* plerosq; ad facinus proritavit: *privata* alios; alios *publica*. Sed profecto color est, non vera ratio. *Preclearè* (l) *scriptū à Platone* memini; non nobis solum *nati sumus; sed ortūs nostri partem patria, partem parentes vindicant, partem amici.* Nunquam tamen

(d) *Simil. Pythag.* p. 24. (e) *Cic. de fin.* 1. p. 66. (f) *Joseph.* 3. de B. 7. c. 14. (g) *l. c.* (h) *de Consc.* l. 5. c. 31 q. 6. p. 346. (i) *Idea Philos. mor.* c. 14. §. 17. p. 150. (k) *in sentent.* p. 41. (l) *Cic. 1. Off. f. m. 9. a.*

men scelus postulant. Absit! ut ulla Societas tantam tyrannidem exerceat. Finis *Conjugii*, humani generis est conservatio, non eradicatio: mutuum est auxilium, non mutua perniciēs. Superstitum sollicitudo injungitur; vitā qui jam functi sunt, nostro incommodo vix juvantur. Hero viventi *Servus* venit in consortium: quī commodæ vitæ inserviat ejus, qui jam vivere desiit? num si ipse vivere definit? Est aliquando tempus, cū vitam pro eo ponas: nunquam tibi cum eo defuncto adimas. *CLIENTUM* & Patronorum arcta est copula. Proximum (m) secundum pupillos locum habent, qui sese in fidem patrociniūque dederunt. Quis verò crimine fidem alliget? Non hoc in votis habuit *Romulus* (n), non *Thessalorū* instituit civitas, non *Atheniensium* priscorum scivit autoritas. *Amici causā mortem subire, jucundum est*, inquit Menelaus ille *Ægyptius* ad Satyrum, Clitophontis servum, apud Achillem Tatium (o). *Nulla* (p) tamen est *excusatio peccati, si amici causā peccaveris*. Mortem perpeti nec tibi licet, si libet. Propior tibi uxor est, propiores sunt liberi, quibus Te servare (q) debes. Esto, liber sis ab his vinculis. A civitatis tamen vinculo nondum liberatus es, cujus totus es, quantus es. Tui ergo arbitrii non est,

C 3

mem-

(m) Gellius 5, 13. (n) Dionys. Halicarn. A. R. 2, 10 Cluver. l. 1. Germ. Antiq. c. 41. p. 328, 330. seq. L. Ampel. p. 3. (o) l. 35. Erot. p. 207. seq. (p) Cic. in Lal. (q) V. Ægid. Coninck l. 4. de ad. supernat. disp. 25. dub. 6. p. 509. n. 84. & dub. 9. p. 518. n. 139.

membrū a corpore Reipublicæ abscindere. Quod si vitam amittere, in tuâ potestate situm non est, quomodo ipsam tollere permissum fuerit?

XVII. Summa FOEDERUM est religio. Et hæc SAGUNTINORUM cladem nobilitat. Miserum verò fidei sibi ipsi inimicæ præconium! Non hoc terrarum domina postulaverit. Satis fidei litatum erat fortissimâ urbis defensione, extremorumque omnium perpeffione. A sociâ sive patronâ non latum erat auxilium. Patienda potiùs victoris crudelitas, quàm nefaria peragenda trucidatio. Non infamis est servitus, quàm major vis imperat. Insultet superbo ludibrio hostis: amicæ ac fideles non sunt manus, qui ea, quæ peritura forent, absumunt. Nec produntur (r) à captis illi, qui pro patriâ strenuè dimicantes occubuerunt. Principium opinionis hujus est devotio, devotionis desperatio. PER VIRTUTEM cecidisse videntur, qui salutem in manibus suis aut aliis etiam quæfiverunt. FORTES videntur, reverà mortalium ignavissimi. *Mollis (s) animi est, res ærumnosas & laboriosas fugere.* Vefanus est JAPONUM stimulus, qui unum illud infatiabiliter (si Dūs placet) parandum, *prosperam sui memoriam* hoc mortis genere parare satagunt. Sed audi, quid in aurem dicat Demophilus (t): *Fac, quæ honesta judicas, etiamsi nullam tibi allatura sint gloriam: vulgus enim malus rectefactorum arbiter.* Nihilolécus ve-

CORS

(r) Polyb. 16, 19. (s) Aristot. 3. Nicomach. II. (t) in Sentent. p. 42.

cor illud vanæ existimationis studium instillatur
(u)genti à teneris. *Nascuntur* (x) scilicet *virtutes*
ex rectâ vivendi ratione, rectâq; educatione ac
institutione; vitia ex contrariis.

XVIII. Occurrendum nunc illis est, quos OB-
SEQUII fascinavit gloria. In JAPONIA non minus
imperium mariti agnoscunt conjuges, quàm ma-
riti Cæsaris imperium observare tenentur. Hæc
Reginæ Cocoræ erat prætenfio. Scias, à muliere
profectam. Nulla lex interminabat, semet infe-
ris tradere. Visillata à criminis suspitione liberat.
Hæc INDIS quoque dicta sunt mulierculis, quæ
mortis voluntariæ genus eligunt. Multa sunt, quæ
inducant. Ignominia (y) superstites manet ma-
xima. Coma ipsis abscinditur, herbæ Betel esus,
mundi muliebris usus, vota etiam secunda prohi-
bentur: dignitatis atq; facultatum suarum jactu-
ram patiuntur. quin infimulatio temeratae fidei
exspectanda est, & sustinenda. Mala omnia; verū
tristia. Tristissimū omnium turpe est. An verò fidē
fregisse viduas tales seriò existimant? Non hoc
Brachmanes asserant. Multa [z] impostores bla-
terant: Uxoris nece maritum vel impium ex in-
ferno redimi; peccatum committere superstitem.
Promittunt (a) etenim nuptæ coram igne atque
Bramine, se conjuges suos non deserturas, sed a-
ni-

(u) *Varen. c. 20. p. 130. seq.* (x) *Sallust. Philosoph. l. de Diis & mundo, c. 10. p. 80. V. Autor Nov. Solym. l. I. p. 11. seqq.* (y) *Roger P. l. c. 20. p. 209. seq.* (z) *p. 208.* (a) *c. 19. p. 184. seq.*

animam suam viri animam ad mortem usque esse
 comitaturam. Vedam etiam, sacrosanctus In-
 dis liber uxori mortem viro moriente præcipit.
 En! vincitiam conscientiam. *Caligat* [b] *ad religio-*
nem genus humanum. Verum enim verò hæc o-
 mnia tam vera sunt, quàm verum est, amoris ar-
 dore comburendas ardoris sensum extinguere:
 quod Bramines credulis ogganniunt. Hi ipsi anti-
 stites nullam ad triste hoc pactum adigunt, quin
 persuadere alicui religioni sibi ducunt, & cogen-
 tem peccare dictitant. Liberorum (c) etiam a-
 mor à peccato isto, quod comminiscuntur, ma-
 trem absolvit. Quem verò *Vedam* obliget? Li-
 ber Alcorano aut Talmude vix inferior? Qui
 conjugii (d) injungit, ut vel impietatem mariti ap-
 probet ipsumque ad prostibula publica suis por-
 tet humeris? Uxoris hinc voluntas rem totam con-
 ficit. Si renuerit (e) non tenebitur. Linguâ ergò
 suâ solâ seipsam jugulat.

XIX. Miseratione dignæ sunt SETTREARUM
 Conjugæ, quas invitas ad rogam damnant ma-
 ritorum confanguinei. *Lege* agere sese, conten-
 dunt hi feroculi. Et sancita (f) est olim à Rege
 & optimatibus ob mulierum, subsessores matri-
 monii admittentium veneficium. Occasio-
 nem unius noxæ Diodorus (g) adscribit. Sed
 opti-

(b) *Plin.* 30. *H. N.* l. (c) *Roger* l. c. p. 185. (d) p. 186. seq. (e) *Joh.*
Tuvist. in *describ.* *Gusaratte.* c. 13. (f) *Strabo* l. 15. *Geogr.* p.
 481. *Joh. Verk.* P. 1. *Navig.* p. 88. (g) l. 19.

optimè Strabo judicat: *Profectò lex & causa mihi non satis probabilis videtur.* Quis enim approbaret omnes innocentes ob nocentes quondam aliquas opprimere? Lex injusta æque Lex [H. Grot. de J. B. & P. I, 1, 9. 1.] est; atque tyrannus rex. Nec ex Plutarcho (h) mihi oggeras: *Malis, ubi consuetudine recepta, vim legis adipiscuntur, non facile possunt aboleri, quantumvis damnosa sint.* Tataris, gens ferocissima, cum (i) nobiliores moriebantur, simul famulos aliquos, mulieres, equos, arcus, ac sagittas in rogam injiciebant, ut mortuo etiam post mortem essent servitia: occupato nihilominus Sinico Imperio, barbarum hunc morem reliquerunt, ab ipsis Sinitis correcti. A victis nempe victores. Qui rex suorum Dominus iniquum morem non corrigeret? Tecum itaque res erit, everfor Juris humani, qui legem tam iniquam condere sustinisti. Anthropophagi sunt Canibales in America. A foeminarum (k) tamen esu abstinent; vetulas labori, juvenculas liberorum procreationi destinant. Nec immunis es à flagitio, si detestandos ritus pateris. Sancis, dum non [V. Boxhorn. tr. de Legib. §. 27.] abrogas. Non absolvit te munditotius ferè consensus, discordis quamvis, & sibi ignoti. Consensus iste barbarus est, & ab o-

D mni

(h) T. 2. l. de util. ex inimic. cap. p. 91. (i) Martin. de B. Tartarico p. 31. (k) P. Martyr. l. 11.

AK
T/n
6948
quos illaudatae Veneris Bacchique
nepotes,

terrestre ingenium non petere alta
finit:

quorum perverfis animis increvit
opimum

pingue: ut quod peccent, amplius
haud videant.

Totus ab his diversus abis, doctisfi-
me PRICEL,

quem totum virtus mancipat al-
ma sibi.

Exere Te virtute tuâ et fortissime
ad arma

descende Aonidum; Victor & inde
redi.



mium occa
 diuulso, co
 bitate pern
 hausit. Eju
 fuit M. PL
 classem soci
 ret, Taren
 stilla, qua il
 decessisset;
 ter officium
 cubuit. Qu
 ceatum cor
 jectis facib
 rum ibi fa
 (addit Va
 ΦΙΛΟΥΝΤΩ
 cendit; ma
 Credens (C
 trem fodit
 NOBIL
 sta de Fir
 suarum re
 Amasiam
 indulserat
 erant acut
 III. Pro
 PORCIA, (

(d. ib. ex. 3. (C
 pom. c. 12. p. 89

& vulnere
 actus acer
 visceribus
 noris quoq
 io senatus
 m reduce
 r ejus Ore
 orbo pressa
 nposita, in
 to ferro in
 um & cal
 leinde sub
 ant. Quo
 etiamnum
 catur ΤΩΝ
 ortem ac
 NTONII
 esse, ven
 ventrem
 od Dyna
 mercium
 nstituerat
 tsius forte
 tere infix
 est UXORIA.
 ad Philip
 pos
 Varen. de Ja

